dolore florentis etatis. tanquam per beati Francisci
merita fomentum suscepit vite. sacramentum paren-
tibus prebuit ad christum et sanctum eius devotionis affectum.
Simile quoddam huic in tyburtis civitate beatus pa-
ter effecit. Cum enim mulier quedam filias pluri-
mas peperisset. desiderio plus fatigata virilis.
apud sanctum Franciscum preces ingeminavit et vo-
ta. Concepit igitur eius meritis mulier illa et gemi-
nos ei parere dedit. quod pro uno fuerat exoratus.
Apud viterbium partui propinqua mulier.
morti propinquior censebatur. visceralibus
tormentata doloribus et tota calamitosa infortu-
niis mulierum. Cumque nature succumbente vir-
tute omnis deficeret artis industria. invocato beati
Francisci nomine liberata confestim mulier. partum
salubrem terminavit. Sed assecuta quod voluit.
et oblita beneficii quod accepit. honori sancti non defe-
rens. die natalis ipsius ad opera servilia manus
extendit. Et ecce subito dextrum brachium ad
laborem extensum inflexibile remansit et aridum.
Quod cum studeret ad se revocare cum altero. ultione
consimili et illud exaruit. Timore igitur divino